

fecere illi anxietate dichotomiarum, ut rem coangustarent magis quam! comprehenderent, quæ interea velut anguilla elabebatur, aut pro grano proprietatum inutiles divisionum paleas relinquebat.

§. 8. Cùm verò docendæ Jurisprudentiæ Methodus, comprehendat & *Methodum disponendæ*, videamus quas varii vias iniverint. Juris enim in artem redigendi vetus admodum cura est, quam & Cicero olim Gellio teste agitavit. Deinde in eandem curam incubuere Jurisconsulti veteres, neque enim tantum confusos Quæstionum & Responsionum libros, sed & Digesta, vel ipso nominis indicio ordinata, & Institutiones confecere. Sed quia eorum Scripta & mutilata & discerpta sunt, licet tantum ex Inscriptionibus Legum Justinianarum nonnulla divinare. *Tribonianus* aliam in Institutis, aliam in Digestis & Codice Methodum tenuit. Illic enim tria *Juris objecta* constituit, *personas,*
res